



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Strauch, Johann

Jenae, 1675

Caput Primum ad inscriptionem cap. 26. de Elect. & Ele. pot.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10224

mones Chalcedonenses 2. 25. 26. Vide Cujac. ad Nov. 3. Jacob. Godof. C. T. de bon. cler. tom. 1. fol. 498. Barbof. ad l. omnes 33. C. de Epif. & Cler. §. hoc nihilominus. Is constituendus erat ex proprio clero *can. 26. Concilii Chalcedonensis.*

Finis Eclogæ III.

Amœnitatum Juris Canonici

ECLOGA QUARTA.

CAPUT PRIMUM

Ad inscriptionem cap. 26. de Elect. & Ele. pot.

SUMMARI A.

- | | |
|--------------------------|---------------|
| 1. Emendatur inscriptio. | 4. Mascaron. |
| 2. Cistercienses. | |
| 3. Species facti. | 5. Raymundus. |

Inscriptio apud Gregorium nonum ita habet: Abbati Cisterciensi R. & P. Monachis Fontis frigidi. Addendum: *Monachi inscriptio. chis Fontis frigidi Cisterciensis ordinis, Apostolica sedis Legatis.*

Cisterciensis ordo, de quo supra quoque Ecloga 2. c. 9. regulam Cisterciensis. Benedicti sequitur, sed liberius mutatis cum habitu observationibus quibusdam. Primitus nigris utebantur vestibus, quas B. Martinum & antiquos in Galliâ induisse ex Petro Cluniacensi videre est *lib. 4. Epist. 17.* Canonici verò omnes, qui sub B. Augustini regulâ vivebant, Albis incedebant. Hinc Monachi alii nigri, alii albi. Nigri antiquum nomen retinentes regulam S. Benedicti strictè servarunt. Secus atque Cistercienses. Jacob. de Vitriaco *c. 13. hist. occid.* Cum igitur, ait, à priscis temporibus, in partibus occidentis due tantum fuissent Regularium Diversitates; Monachi scilicet nigri, S. Benedicti regulam profitentes, & Canonici albi, secundum regulam B. Augustini viventes, postquam peccatis exigentibus,

Species
facti.

Mascaron.

Raymundus

primò modica negligentes paululum cadere coperunt; tandem ad tantam dissolutionem plures Regularium conventus devenerunt, quod viri timorati & prudentes sub alio habitu & aliis institutis Domino militaturi ab ipsis recesserunt. Species facti hæc erat: Defuncto Fulcrando Episcopo Tholosano circa annum MCCI. Raymundus de Rapistagno, ex Archidiacono Agennensi in Episcopum Tholosanum eligitur. Unus electorum suorum fuit quidam Mascaron, Cancellarius, quæ est primaria dignitas in Ecclesiâ Tholosanâ post Præpositum. *Capell. Tholoss. q. 13.* Hic apud Arnoldum (ita vocabatur ejus temporis Abbas Cisterciensis, ad quem Pontifex rescripsit) Radulfum & Petrum de castro novo, Monachos Fontis frigidi, Cisterciensis ordinis, sedis Apostolicæ Legatos, in causâ Albigenſium, & specialiter ad inquirendum delegatos, super statu Episcopatus & Episcopi Tholosani, juratus asseruit, Raymundum, olim Tholosanum Episcopum, Canonicis persuasisse, ut in Episcopum eligeretur. Vide cap. 36. h. t. unde simonia contracta censebatur, *can. ordinationes, c. 1. q. 1.*

CAP. II.

Ad cap. 30. de Elect.

S U M M A R I A.

- | | |
|--------------------------------------|--|
| 1. Grandis-sylvæ monasterium. | 4. Petrus de Castro novo & Radulfus, inquisitores. |
| 2. Species facti. | 5. Convena. |
| 3. Albigenſes, in diœcesi Tholosanâ. | 6. Convena, domanium Regis. |

Grandis-
sylvæ mo-
nasterium.

Species
facti.

Scribit Innocentius Abbatibus Grandis-sylvæ & Bellaperticæ. Hi sunt Abbates Cisterciensis ordinis in diœcesi Tholosanâ. Grandis-sylvæ monasterium temporibus D. Bernhardi epistola 241. ordini Cisterciensi addictum: Verba Bernhardi: *Sit vobis commendatus lator epistola, venerabilis Abbas Grandis-sylvæ & domus ejus, qua ut nostra est, nuper nobis & nostro ordini ab ipso tradita, & Ecclesiæ Clarevallis specialiter associata.* Eâdem tempestate ibidem monachum professus est Guilielmus Comes Montispellulanus, ut habetur in vitâ ipsius Bernhardi *lib. 4. c. 1.* Species facti hæc est: Vacante Ecclesia Tholosanâ electores ex com-